Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

pro te anathematizando abiciant. ne illius errore ipsi
decipiantur. Exhortationis quoque sermonem eis faciens. et ut
in katholice fidei unitate manerent. commendans eos domino in
quem crediderant dimisit in pace. Illi nimio vero amore illi cum
ipsi circa carcerem detinebantur. et aperte de carcere educi bea
tus petrus non posset. noctis medio tribunus una cum militibus
rupto pariete carceris per modicum foramen ad locum ubi decol
landus erat perduci precepit. Sanctus quoque petrus oratione facta ad sepul
chrum beati marci evangeliste. et sanctorum successorum aniani. de
metrii. eracli. theogene. inclinans genua sua et gratias agens
deo. qui eum martiribus suis associasset. extendit cervicem suam gla
diatori atque percussus martyrii palmam adeptus est. Et relevent
unde a christianis sublatus in loco qui dicitur beocados in cimiterio
quod ipse edificaverat ad orientem civitatis alexandrie
sepultus est. Hic quotienscumque ingrediebatur in tysiastrium. et
ascendebat ad superioris pulpiti locum oratione facta et pace
data populo. videbat ignis splendorem quasi egredientem de se
de. ad cuius fulgorem mens eius considerata humilitate. tre
se deponebat. ut numquam in throno eminentiori ubi ipsi
sedebant. sed super scabellum pedum illorum sederet. Passus est autem
hic beatissimus episcopus tempore maximini imperatoris. qui decimam
persecutionem dyocletiano et maximiano ceptam in orien
tis partibus exercuit. Cum quo simul et alii plures ex egipto
episcopi trucidantur fere cum clericis et laicis sexcenti sexaginta.

Incipit passio sancte Katherine virginis.

[C]um vi
rorum sanctorum fortia gesta ad me
moriam posterorum transscribimus.
quid aliud agimus. nisi ut ita dicam
quoddam incentivum bellicum pro
movemus. per quod inbelles animos
auditorum ad bella dominica accendamus. ut cum per laborum exer
citiis coronas acquisitas audierint. iam certi de spe retributi
onis ardentiores fiant ad tolerandas passiones. hoc
sane perpendentes. quia non leve aut inane constat esse premium
pro quo sancti dei corpora sua diris tormentorum suppliciis tradiderunt.
Hec nimirum causa extitit qua gloriose virginis katerine memo
rabile certaminis agonem stili officio proposui enarrandum.
ut dum infirmioris sexus constantiam et inbecillem etatis
virtutem attendunt. hoc nobis ad ignominiam et obprobrium in
re quis esse dicat quod puellas teneras per ignem et ferrum ad patriam
celestem tendere videmus. et nos barbati homines nec pace secu
ram. Sed forte aliquis dicet. fides katholica per totum orbem
disseminata est. christi nomen gentes ubique fatentur. et quia christianitas
in suis principibus iam religiosa. iam fidelis extitit. iamque perse
cutionis procella detumuit. iam vincla et verbera carceres
et eculeos et cetera tormentorum genera procul cessisse manifes

tum est. et ideo christicolis iure non potest imputari. si his nostris
temporibus penarum generibus non probantur. quia persecutionis occasio
sedata iam pace quievit. Huic quisquis ille est tale damus res
ponsum. Virgo hec non uniformi persecutionis genere impug
nabatur. cui a fronte exterius hostis acriter incumbebat. domes
ticus et occultus. Alia enim intelligenda est persecutio et que
maior et magis noxia quam non materialis intorquet severitas.
sed nec vitiorum urguet adversitas. Porro hec gloriosa vir
go. gemina obpugnantium acie circumsepta et furentem in
persequentium rabiem constanter evicit. et conglobatas vitiorum aci
es viriliter debellavit. Unde gemino gloriosa triumpho. utiliter
ut spero ad informandas mentes proponitur. que puellari cor
pore sic sexum vicit et seculum. ut et noxia carnis oblec
tamenta vitaret et victoriosa passione tormentorum genera
superaret. De hac pro edificatione locuturi. tale sumamus exordium.

[T]radunt annales hystorie quod constantinus qui guber
nacula imperii post constantino qui uno et triginta
annis moderator egregie imperium tenuit. pacem ecclesiis per
decem annos quibus a persecutoribus vexabatur indulsit. Hic
constantinus cum rem publicam strenue in galliis procuraret.
pretoriani milites rome maxentium herculii filium qui
privatus in lucania morabatur. augustum nuncupaverunt.
Ipse vero repentina rabie incitatus. ecclesiam christi zelo ydolatrie
persequi constituit. et ad profana sacrificia christianos aut premiis
aut tormentis incurvare. Igitur residente eo in civitate
alexandrinorum feralia per vicinas provincias misit edic
ta. iubens christianos diis suis ymmolare. aut penalibus
cruciatibus interire. Erat huiusmodi edictum. per regiones et cuiusque
et nationes ab eo missum. Maxentius imperator his qui edictis
nostris obtemperant salutem. Iubet nostra imperialis maiestas.
omnes orbis nostri incolas divites et pauperes ad nos usque
venire. et nostre institutionis sententiam audire. Si quis
iussioni nostre contumaciter presumpserit. sciat se capitali sententia
puniendum. Auditis itaque tyrannice iussionis manda
tis. fit concursus universalis ad pretorium regis. Postera autem die
sedens pro tribunali. iubet omnes introduci. et preconis voce cla
mare. ut ad templum deorum suorum omnes pariter convenirent. et
qua hora sacerdotes aris thura imponerent. et imperator sollemp
ne sacrificium diis offerret. mox omnes incurvati ante si
mulachra deorum iuxta possibilitatem suam divites quidem thau
ros et oves. pauperes vero volucres vivos offerrent. Porro
imperator ut erat regio accinctus ornatu et militari habitu
stipatus. perveniens obtulit sacrificium. thauros centum
quadraginta. Hunc reges et principes. hunc magistri militum.
hunc prefecti et tribunicie dignitatis persone illustres. prout
gratiores tyranno apparere nitebantur formosa diis anima
lia immolabant. Quibus vero ad sollempnem pompam sacrificiorum